

בשמי מרומא עלאה בית שכנתיה קדיש על ארעא עובר
 גבורתיה קדיש לעלם ולעלמי עלמיה יי צבאות
Et clamavit alter ad alterum & dixerunt: Sanctus in caelis exelsis, in domo Majestatis ejus, sanctus super terram opus potentia ejus, sanctus in seculum & in secula seculorum Dominus exercituum. Evidenter videmus, quod primum sanctus ad caelos superiores, secundum ad terram, & tertium ad aeternitatem retulerit. Sed quaerimus qua ratione haec ex textu intelligantur? Cognovit quidem uterque trinam repetitionem non denotare superlativum, quod & nos negamus: cognovit etiam uterque trinam repetitionem triplicem respectum involvere, quod & nos affirmamus; sed quorsum trina repetitio respiciat agnoscere noluerunt Judaei Trinitatem negantes. Ipsi Seraphini docent, quorsum trina repetitio referenda sit, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus Zebaoth.* Quo indicant in una DEI Zebaoth essentia triplicem illum respectum esse quaerendum. In ea vero simplicissima essentia nobis nullus alius respectus revelatus est, praeterquam Patris, Filii, & Spiritus S.

§. 25.

Majori affectu R. Abarbanel illam superlativi notionem, quam alii ex trina vocis repetitione concludunt, rejicit: Audiamus eum fol. 16. b. ita loquentem: *Sunt qui exponunt, quod multiplicetur vox Sanctus ex lingua indole, ad indicandam rei veritatem, idque fit quandoque duabus, quandoque tribus vicibus: v. g. Abraham, Abraham: Jacob, Jacob: Mose, Mose: Pater mi, Pater mi: humiliabit illum, humiliabit illum ad terram: cecidit, cecidit Babel: Jehovah est DEUS, Jehovah est DEUS: quandoque tribus vicibus: perversitatem, perversitatem, perversitatem ponam eos: terra, terra, terra audi verbum Domini: templum Domini, templum Domini, templum Domini sunt. Sed haec verba omnia sunt perversa*

1811